



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLXXXIII. Rapta male tractata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

CCCLXXXIII.

Rapta male tractata.

QUE VIRUM MALÆ TRACTATIONIS DAMNAVIT,
DUPLAM DOTE M RECIPIT. SI INDOTATA NUPSERIT,
LITEM ÆSTIMET. Rapta nuptias optavit, postea virum malæ
tractationis damnavit: litem morte æstimat.

DECLAMATIO.

NImio amore, & sollicita inquisitione hic offendit uxorem. Venit illa in forum gratiosa: ne nos quidem obstitimus, quo minus vinceret, ut sciremus quanti dotem æstimaret. Iudices dixerunt. Quid nos intercedimus? Optime ipsis conveniet: hæc tamen, ne sine causa in forum videatur venisse, ferat aliquid solatii: bene credimus illi ejus patrimonium, cujus capiti pepercit. Veneramus hilares ad æstimationem. At ista, Quid mihi, inquit, cum pecunia est? mortem desidero: putat se, ut occideret, vicisse, quæ vicit, quia non occiderat. Obsequendum est tibi, adolescens: nihil in mulierem dicam, sed patiaris causam tuam defendi. Dicimus pecuniarias lites esse: litigatorem esse, non reum, non qui de capite fortitur: illud iudicium, vocari quæstionem, quidlibet potius quam litem. Æstimet, inquit. Quam familiare, quam quotidianum verbum est? si quid commodatum non redditur, nota sunt verba postulantium, QUANTI ÆSTIMET. Ergo pecuniarium verbum est: huic tu mortem putas subijci? Veneficus exulat, alii scelerati mitius puniuntur: malæ tractationis damnatus occidetur: Mea inquit, æstimationis est: imo iudicium. ¹Tua in una lege est, quam habuisti: & lex ubi perire vult hominem, aperte significat: DESERTOR OCCIDATUR.

SERMO.

Ultima sunt preces, ut exoretur mulier.

DECLA-

¹ *Tua in una lege est.] Malum, tua, in bona è lege est. Pith.*

DECLAMATIO.

Serves munus: nam removeas licet secures, si irasceris, morietur alioqui. putas illum dilaturum nuptias tuas. Denuncio, iterum rapiet.

CCCLXXXIV.

Virgo immolata pestilentia.

In pestilentia responsum est, virginem immolendam. Sorte ductam pater virginem negavit. Magistratus immolavit: non finiebatur pestilentia: iterum sortiti sunt: altera immolata est: sedata est pestilentia. Prioris patri magistratus reus cædis est.

COLORATÆ.

Sortem filia tuæ Deus inter virgines esse noluit: sed tanquam alienæ turbæ exemit.

CCCLXXXV.

Lenoni reus, qui meretrici amatorium dedit.

DAMNI INJURIA DATI SIT ACTIO. Adolescens cum amaret ancillam meretricem, & multa ei donasset, amatorium ei dedit: videbatur amare ancilla adolescentem: agit leno cum eo, damni injuria dati.

DECLAMATIO.

Siquis utramque partem inspexerit, intelliget profecto, Sex utra parte sit damnum. Nam lenonis impudentiam satis admirari non possumus, qui non contentus in lupanari venditare ancillam, in foro venditat, quo plures amatores inveniat. Quod si aliquid valet amatorium, fautor, hic bibit.

SERMO.

Rei gestæ ordinem cui necesse est exponere, in ejusmodi persona necesse est erubescere. Questiones illæ sunt, an leno damni injuria dati agere possit, an impune illi injuria fieri: an cum suam injuriam non possit vindicare, mancipii possit: ¹ an si mancipii non potest, prostituti possit. Quid sit damnum datum esse: cum quis non habeat.

¹ An si mancipii non potest, prostituti possit.] Potius, prostituta. Gronovius.